



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 165. Milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius. v.
23.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

gis perfidiam atque acerbiter proderent, Christi mortem maiori ignominia notare velle quippe qui in titulo scripto illud admisceri ad laborarent & peterent, quod ipsi optabant & erat contra veritatem; nihil immutari voluit præles prudens: sed respondit illis, *quod scripsi scripsi*, non vultis vos ut quod scripsi sit scriptum; volo ego ut quem damnavi non sit damnatus. Divina ergo providentia rexit Pilatum scribentem, quia revera erat Rex Iudæorum, incipiens à Iudæis regnare in omnes gentes.

Et hoc pro instructione nostra, ne & nos facile mutemus proposita bona, vota præsertim emissa & quæ ad iustitiam & religionem promovendam decreta & promulgata sunt. Peius igitur gentili Pilato agunt Apostata, qui fidem vel religionem deserunt, cui nomina sua dedere: Nos ab his cavebimus per Dei gratiam & quæ semel in corde nostro scripsimus ac decrevimus ad Dei gloriam, nunquam oblitterabimus, sed cum Pilato tentatori respondebimus Dæmoni & carni & mundo. *quod scripsi scripsi: quod dixi, dixi.*

§. 165. *Milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius. v. 23.*

Duo audio officia vel usurpationes militum hoc loco recenseri, nempe crucifigere Dominum prius, & deinde eius vestimenta accipere. An hoc solenne sit ei vitæ generi, non habeo cur hoc loco affirmem, sed neque cur negem. Quoniam de solis his ago qui tunc erant Ierosolymæ, cum ista fiebant, & non de omnibus istis, sed quibus negotium datum est, vel qui id sibi poposcerant. Isti ista duo fecerunt, alij quid agant ipsi viderint, nolo me eorum constituere iudicem gratis cum periculo, quoniam arma portant, quæ non porto, & tamen vereor. Duo ergo fecerunt, crucifixerunt & acceperunt. Videamus ne & hoc contingat in alijs hominum institutis. Fuerunt Iudices qui occiderunt homines & eorum substantiam traxerunt ad se. ita fecit Achab & Iezabel uxor eius apud Israelitas. Faciunt hoc etiam Christiani? Nolo eos accusare ipsi se iudicent qui ista audiunt vel legunt. timeo non sine causa ne etiam quorundam ex nobis sensus corrumpantur, ad stuporem dulcis vel suavis est odor lucri, & suavissimus si accedat necessitas.

Oblecto Domine custodi ab hoc laqueo animam meam, ne crucifigam & accipiam. pauca dico, sed tu cordium scrutator nosti sensum.

§. 166. *Et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem. v. 23.*

Indicatur hic fuisse 4. milites crucifixores, prout etiam num moris est

Q 3

in orig